

- N. 166. *Excusatio II.* Ratio sola non est regula externorum, sed internorum tantum.
- N. 168. &c. Hac excusatione non possunt uti Puffendorffius, Wolfius, Heineccius.
- N. 172. Si nos moderni non vivimus jure naturæ, cui bono scripsere heterodoxi hæc ita dicta jura naturæ?
- N. 177. &c. Ut ut sumantur ista, sequuntur moderno hominum statui contraria & everfiva.
- N. 181. *Excusatio IV.* Jus naturæ heterodoxum est pro sapientibus tantum, non pro vulgo.
- N. 182. R. Attamen vulgus sunt *homines ut homines?*
- N. 183. &c. Quæ ergo demum ratio sola sufficit? Non Catholicorum, non Germanorum, non juvenum, non fæminarum, non plebis: an Wolffii? quia is infallibilis.
- N. 190. *Excusatio V.* An ratio sola ideo fit principium J. N. ut deprehendatur, an leges civiles sint in Jure naturæ fundatæ?
- N. 181. R. Quis debet hoc inquirere; Docti hoc dudum fecerunt, nec opus erat istis novis. Heterodoxi aliud intendunt &c.
- N. 194. &c. *Excusatio VI.* Jus naturæ & ratio sola tantum ad hoc spectant, ut intelligamus, an aliquid esset jure naturæ debitum, etiamsi non esset præceptum? R. futilia hæc esse.

- N. 198. *Excusatio VII.* Principium rationis solius non pertinet ad vitam & praxin, sed tantum ad scholæ contemplationem: ne cathedrarum limites confundantur. R. Hic pedantismus alibi explosus.
- N. 200. *Excusatio VIII.* Heterodoxi in *praxi* supponunt auctoritatem: principium autem rationis solius servit ad deprehendendam *differentiam* legum naturæ à positivis.
- N. 201. R. Hunc esse pedantissimum quem persequimur.
- N. 202. Hoc autem principium nunquam inveniet illam differentiam, nunquam terminabit controversias.
- N. 206. *Objeccio.* Etiam auctoritas semper pugnat. R. Magnum discrimen hic esse.
- N. 208. *Objeccio.* Ratio etiam cum auctoritate fallibilis est: Ergo nos ipsi nos premimus. R. Est fallibilis quoad se, sed longe minus quam sola.
- N. 211. Heterodoxi dum rationem extollunt eam enervant, quomodo?
- N. 216. *Objeccio* Heineccii. Cum Iapanibus an agendum ex sacra scriptura? Id plane non absurdum est, ex mente etiam heterodoxorum.
- N. 227. *Conclusio.* Heterodoxi olim S. Scripturam solam volebant audire: nunc solam rationem: deinde quid facient. Sed Principum interest, ut eorum conatus reprimantur.

PRÆFATIO.

Nunquam fortassis Heterodoxorum doctrina tantum Europæ perversitatis intulit, quantum ab aliquo tempore, cum se in Angelum lucis transformavit, & ementitum habitum Juris naturæ sibi circumposuit.

Huc spectant tot Juris naturæ tum compendia, tum vasta volumina, monstrosæ doctrinæ passim fœda.

Leguntur ea à quibusvis avide, & ad ea ediscenda mittitur improvida juvenus, ac juventutis Catholicæ & Orthodoxæ flos.

Fructus is est, ut credant multi, doctrinæ istis esse necessario parendum, & religioni habeant ab illis vel unguem deflectere. Quis enim *Juri naturæ*, quod hic promittitur, non obtemperet? Ergo fit, ut nihil sit adeo ab antiquis moribus & vera probitate absonum, quod non incautis mentibus instilletur.

Specimina ejus rei multa edidit Grotius, Hobbius, Cumberlandus, Puffendorffius, Thomafius, Budæus, Coccejus, Fleischerus, & nuperrimi aliquot. Horum peccata C. P. Schvartz S. I. in suo Jure naturæ collegit & eluit.

Verum non ipsæ horum doctrinæ pestilentiores sunt, quam *Principia* seu Fundamenta, quibus non ipsum modo Jus naturæ sic dictum inædificant, sed quibus solis omnes etiam alios uti jubent: ab aliis autem, quæ veræ doctrinæ Fundamenta essent, jubent omnino abstinere.

Jubent enim ad Jus naturæ agnoscendum ac decernendum à quocumque homine *solum Rationem* adhiberi; Catholicos autem doctores

omnes à Christo nato usque adhuc, magno se peccato obstrinxisse, quod Religionem Christianam & Divinam revelationem Juri naturæ fœde immiscuerint.

Haftenus quidem rem dicunt, quæ specie aliqua disputationis oblini potest. Et necdum advertitur, quo hæc retia tendant.

Sed cum ad usum devenitur, tum vehementer patet decipula. Nam Juri naturæ finem ajunt esse hanc tantum vitam, & sive pacem externam, sive nescio quem progressum in virtutibus hujus tantum vitæ.

Rursus, Conscientiam moderandam esse Jure naturæ.

Iterum, regna, & rempublicam gerendam esse ex Jure naturæ.

Denique persuasiones omnes Juri naturæ contrarias, ut inquit Puffendorffius, eliminandas procul esse.

Jam veniat aliquis & quærat: Quid ergo est Juri naturæ? quid porro Juri naturæ contrarium?

Respondent, quid sit Juri naturæ ex *sola ratione agnosci*. Auctoritatem ad hoc valere nihil sane; quin auctoritatem obesse tanquam fontem omnium *præjudiciorum*.

Neque determinant, *quæ ratio* sola, aut *cujus DEI*, hominisve ratio sola sit ea, qua sola adhibita agnoscat, quid sit Juri naturæ & quid contra?

Igitur restat, ut *quælibet & cujuslibet hominis ratio sola* sit illud, quo solo Jus naturæ agnoscat.

Cum igitur respublica sit gerenda, conscientia dirigenda, persuasiones & fides discernendæ, hæc denique vita omnis sit exigenda Jure naturæ; sequitur, rempublicam, fidem, vitam omnem agendam esse ex *sola cujuslibet ratione*, auctoritate divina humanaque, tanquam *præjudiciis* procul rejectis.

Ex.

Ex hoc deinde sequitur rursus, omnia, quæ Puffendorffio, Hobbio, Thomasio, Wolffio videntur, esse faciendæ; quia hæc sunt Juri naturæ. Præcipiant ergo Religionem Christianam ad alteram vitam differri, differetur; quia hoc est Juri naturæ. Dicant, de altera vita immortalis animæ non constare nisi per suspensionem; nulla habebitur vitæ alterius cura; quia hæc est persuasio Juri naturæ non conformis. Dicant, Papam cum Cardinalibus esse trucidandos, manusque lavandas in Anti-Christi sanguine, ut dixit Lutherus; fient ista omnia, quia sunt Juri naturæ; sola enim ratio hoc dictavit; Papam tantum præjudicia fecerunt. Ajant, omnia civium prædia esse in proprietate Principis, eum solum esse dominum, possessiones ceterorum non esse nisi principis gratias; subito cives omnes habebuntur pro mancipiis, & hoc etiam Juri naturæ erit, eo quod sola ratio illud dictaverit. Contra dicat alius, Principem populo gravem non esse ferendum, sed excutendum jugum improbum, regemque pro pegmate supplicio afficiendum: deturbabitur rex, idque erit Juri naturæ: dictavit enim illud ratio sola, auctoritate exclusa. Doceat alius, nullum esse jus natura, sed pactis denique nasci jus; hoc quoque erit jus naturæ, esse nullum jus; dictavit enim illud ratio sola.

Quin & eorum omnium monstrorum rei sunt novi isti doctores, quæ ipsi quidem non docent, sed quæ ex *Principio* juventuti tradito juvenus deinde ipsa peccat. Ut qui furioso gladium dat in manus, reus est omnium quos interfecit furiosus.

Juvenes *solius rationis suæ* Principium nacti prorumpunt ad cudentia sibi jura naturæ novissimi semper modi, *Nach der neuesten Façon*, ut loquitur Kemerichius. Quid enim tantis heroibus à præjudicio auctoritatis semel liberatis non dicat *sola ratio*! Labet mentiri! in promptu erit *ipsa ratio* Heineccio prædicata, suggeretque mentiendi rationes amplissimos, ex Hobbio Conservationem sui, ex Puffendorffio commoda hujus vitæ, ex Wolffio necessitatem publicam: & juvenculus hujus farinae facile sibi persuadebit, in se ipso sitam esse necessitatem ipsam publi-

publicam, præsertim postquam Hobbium audiverit, per quem licet totum mundum perdere, ut temet serves.

☞ Lubet fornicari, impudicum esse? Nunquam deerit capiti rationibus turgenti, ratio id faciendi. Inventa ratione faciet securus, erit enim juris naturæ quidquid ratio sola dictaverit.

Hæc juvenis. Factus hoc modo vir incipiet Lyfandri illius more juramentis ludere, ut pueri nucibus. Mactabit, dissipabit, perdet, vivet pro lubricitate. DEUM etiam negabit, quia ex Wolffii demonstrationibus Methematicis adhuc erit custos legis naturæ, quantumvis atheus, adhuc particeps boni summi naturalis: nam bonum supernaturale dicet ad se non pertinere, supra naturam esse.

Inventa apud semet ratione ejerabit fidem; aut sola fide sine operibus dicet se justum; Sacramenta agnoscat duo, tria, quinque, nullum; Christum dicet in pane futurum, aut pane significari tantum; DEUM non esse trinum; Filium non esse incarnatum; phantasma tantum cruci fuisse suffixum; Moysen fuisse impostorem; Jordanis transitum, manna, coturnices, alia natura sola contigisse; Sacrificium legis veteris irrationabile fuisse, novæ superfluum; Externam professionem religionis inanem esse, internam solam attendi; restitutionem esse præsidium infirmorum; usuram bonam esse, quia commodam huic vitæ; furtum occultum honestum, quia stomachum non vitiat; uxores plures necessarias, quia una non sufficiat; concubinatum meliorem conjugio, quod iugo careat; Conjugia separari à consule omnino posse, quia pax externa hoc petat; Communes uxores esse, ut æqualitas in societate melius servetur; Jus in armis esse, quia hæc vincant, pacem & commoda reipublicæ pariant. Promissa servare esse hominum simplicium, quibus ratio non suggerat excusationes: Fœminas esse sacerdotes in populo Christiano. Verbo, quidquid unquam febricitans somniavit infandum, sola ratio hominum istorum dictabit: quidquid sola ratio dictabit, Jus erit naturæ: Jus igitur erit naturæ quidquid orcus parturire monstrorum potest.

Neque

Neque hæc, quæ adhuc exposui, per somnium mihi venerunt in mentem. Leguntur ea in heterodoxorum omnium temporum libris, tenentur ea moribus. Atqui omnia hæc excogitavit *Ratio sola*, calcata auctoritate. A ratione sola non amicus est tutus, non hostis, non soror non mater, non Princeps, non respublica, non privata, non cœlum, non DEUS ipse, quem miserabiles illi *Honesti* pueri *die ehrliche Kerl* saltem in ore ferunt, miserimi vero illi *Fortes spiritus* tanquam rem rationi soli ridiculam explodunt, & auctoritate seu præjudiciis tantum natam abominantur, nimis vilem, quam ut spiritus tam fortis eidem submittat cristas.

Erit, qui hominibus ista insanientibus, dicat: Tua ratio errat, talia excogitans: me audi: DEUM agnosce ac crede: tempera animo, moderare iudicio. Respondebit ille: Quis es tu? Apage infelix: Præjudiciis educationis, librorum, scripturæ illius Judaicæ præoccupatus es. Cum Jure naturæ non cohærent somnia tua. Ratio sola mihi dux est. Quid sit Juris naturæ, hac ego sola intelligo.

Cumque hæc omnia ex Principio *solius* rationis Juri naturæ subtrato sequi, possem demonstrare; nunc tamen illud solum agam, ut appareat, ex hoc Principio, si semel apud cives valeat, magistratibus curprimis ingens nasci periculum.

Ceterum demiratus persæpe sum istorum Solipforum indolem. *Rationem solam* suam esse idolum confitentur; eam in rebus omnibus tenere se dicunt, qui audaculi sunt; ceteri modestiores dicunt, eam saltem se ubique querere & amare. Hæc autem dicentes invenire sibi veritatem videntur omnibus locis, omnibus in rebus & doctrinis, præterquam in ea sola, ubi reapse est veritas. Nemo istorum videtur rationem invenire in revelatione divina, in religione Christiana, in Catholica. Ubique eamveniunt, scilicet decepti, in climate, in cute, in Platone, in Hobbio, in Puffendorffio, in mendacio publico, in DEI negatione, in indifferentismo ad veritatem, in quisquiliis hujus vitæ:
Sola

Sola est revelatio DEI, sola Christi doctrina, de qua nec loqui ac ne cogitare quidem licet, cum de Ratione est inquirendum. Ex omni reliquo rivo quantumvis pecudum stercorebus turbato haurire laticem datur, solus fons est, qui laticis egeat, quem semoveri plane necesse sit, ubi sitim extinguere & undam excipere velis.

Magnam generi humano calamitatem existimat auctor spiritus legum, extinctionem Sectæ Stoicæ. Ego magnam generis humani calamitatem existimo futuram, si fuscitata nuper Naturalistarum & honestorum puerorum secta stabilimentum inveniatur, *sola ratione* utentium. Inter tot enim pugnantem semper secum rationes, quarum unaquæque regnum suum tueatur, nullus ordo sed sempiternus horror inhabitabit; quemadmodum is inhabitat inter ipsos, Juris naturæ solius rationis persona larvati, scriptores, quorum alter alterum Principiis carere contendit: id quod nos in *Larva detracta* olim persecuti sumus Cap. VII. Tem. XIV. &c. & Cap. XV. Them. III. usque ad Finem.



INGRESSUS.

Scholasticum nomen hodie exofium multi.

Ejus mundi, qui nunc vivit & obtinet, homines à Scholæ nomine & umbra maximopere abhorrent. Quidquid disciplinam strictiore quadam via traditam olet, vario nomine contemptim fere afficitur. *Pedantismus, Schulfuchsercy, Jargon* satis nota vocabula his, quas dixi, doctrinis tribuuntur. *Speculationes* præterea omnes tanquam *otiose* exagitantur.

Otiosa omnia damnanda.

Equidem quidquid otiosum est, neque publice neque privatim usum aliquem præstat, æquum est omni-

bus hominibus, certe non ad otia natis, damnari.

Hæc tamen cum aliorum Pedantismorum tum nostræ ætatis infelicitas, ut mihi quidem videtur, est, quod non raro iidem, qui pedantismum explodunt, pedantismum rursus alteri se tradant, quemadmodum Diogenes canis factum Platonis calcavit factu majore.

Infelicitas porro etiam Otiosa major est, quod otiosa sæpe non pe existimantur, quæ otiosa non sunt, cum sint aut necessaria, aut noxia.

A

Hu.